

LIBRARY
Brigham Young University
RARE BOOK COLLECTION
Vault
093
F84
1487

BRIGHAM YOUNG UNIVERSITY
3 1197 23820 5329

PHALARIDIS

MCCCCLXXXVII

a

FRANCISCI ARHETINI IN PHALARIDIS TYRANNI AGRIGENTINI EPISTOLAS PROEMIVM.

u ELLEM Malatesta nouelle princeps illustris tantã mihi dicendi facultatem dari: ut uel præstantiæ tuæ: uel phalaridis nostri epistolis: quas nup e græco in latinum traductas: & nomini tuo: ut pollicitus sum: dicatas mitto: mea responderet oratio. Vtrum.n. assequeretur: non modo multitudinis: sed eruditorum quidem aurium iudicium formidaret. Nam: ut laudes tuas in aliud tempus remittam: neque.n. huiusmodi sunt: quæ possint breui proemio complecti. Qui ornatus: quæ tãta esset dicendi copia: quæ non tuo: & maiorum tuorum splendore superaretur? Tacebo igitur ĩ præsentia antiquissimam malatestarum familiam: quæ non flaminiæ modo ĩ qua foelicissimo principatu diu floruit: sed italiæ decus atq; ornamentum clarissimum semper extitit. Tacebo maiores tuos: qui & si præstantissimi fuerint: tamen si hanc prouinciam assumerem: tantus mihi recentium laudum campus pateret: ut nõ opus esset antiquiora consectari. Tacebo Pandulfum patrem: Carolum & Malatestam: patruos: quibus neq; bellicæ rei gloria: neque litterarum: quantum in principibus requirendum est: studiis: non liberalitate: non cæteris uirtutibus sua tempora præstantiorem habuerunt. Qui adeo inter se de uirtute contendisse uidentur: ut quem præferas difficile sit ferre sententiam. Adeoq; omnium iudicio laudantur: ut si qd

egregium/siqd magnificum/siqd pricipe dignum maiores natu meminisse uolunt: ex illorum forti ter gestis/acute dictis/prudēter excogitatis exem plum adducant. Accedis tu tātis progenitoribus digna soboles/nulla ex parte eorum laudibus in ferior. Cuius ego cum animi magnitudinem/ pie tatem/ liberalitatē/mores itegerrimos: quæ alias ut dixi: latius ꝓsequar: intelligerem: omnium ma xime delegi: cuius nomini Phalaris noster inscri beretur: de quo ut ingenue quod sentio ꝓfitear: maxime maiorum nostrorum uel negligentiam: uel ingratitudinem admiror: qui de tanto ac tam præclari ingenii uiro: uel nullā poenitus: uel cru delitatis tātum fecerint mentionē: eoq; rem addu xerunt: ut eius dumtaxat sæuitia nota sit oībus. Animi autem magnitudo/liberalitas/doctrina/in genii acumen/poenitus sileatur. Sed profecto ma ligni iudicis est: uno uel altero uitio acerrime exa minato uirtutum merita subticere. Neq; arbitror adeo Phalarim ī eos a quibus insidiis petebatur: q̄ doctos uiros ī Phalarim fuisse crudeles. Qui ue ro & unde fuerit: nemo latinorum: qui sciam: me minit. Cicero & Valerius maximus crudelitatem eius & cædem breui attigerunt. Eusebius cesarien sis tempora quibus tyrānidem apud agrigentum exercuit: & ea quidem dubia annotat. Eius autē epistolæ lōge magis & cōditionis eius & morum præseferunt testimonium. Sed nunquid ei creden dum? Ego quidem inter oīa scribendi genera nul lum uerius q̄ epistolas existimo. Historia oīum iudicio uera cōprobatur. Verum si recte considera

bitur scriptorum affectus/amor/odium/moetus: & id genus alia: quin multa addant: multa subtra hant: nemo asserere dubitabit. Accedit rerum cōsi liorumq; ignoratio: neq; enim oibus īterfuerunt: & res alienas plerumq; scriptitāt: de quibus diffi cile est preter euentus iudicare: & eas alii aliter sæ penumero: ut sepe usu euenit: referunt. Epistolas uero (& si i his simulari multa possunt & dissimu lari) ueriores tamē esse quis dubitet? Plerunq;.n. res nostras scribimus: petimus: negamus: argui mus: res nostras agitur: ex quo maxime affectus & cuiusq; mores ostēduntur. Qđ si in hoc quoq; scribēdi genere: tum moetus/tum cōciliandæ ami citiæ gratia: tum ut uiri boni esse uideantur: non nulli simulant aliquando: nō eiusmodi Phalarim contenderim: & recte quidem. Perlege queso has epistolas diligenter: Et si illius considerabis inge nium: inuenies in phalaride nullum simulationis argumētum. Inuenies maximi animi uirum: qui neminē formidet: neminē ad gratiā alloquatur. Inuenies aptæ frontis hoīem: q qđ aīo id etiā ore habere uideatur: q nullā boni uiri opinionem au cupetur: quippe q & gloriā & oīum adulationē re cuset: atq; contēnat. Vis in deos/in patriā pietatis exēplum? Habes phalarim: q & de his pie loqtur & exul ad restituēdā patriā atq; ornādā/pecunias elargitur. Vis studiorum musarumq; amatorem? Phalarim intuere: q Stesicorum poetam inimicissi mum captum a se/musarum reuerētia seruauerit. Vis liberalitatē? quē phalaridi prepones? Neq;.n. quod nō accipiat: sed q a se munera nō accipiātur

sæpe cõqueritur. Quis bene de se meritis gratior phalaride: qui manifesto cõiurationis crimine cõtra se deprehensum: medici sui precibus condonauit? Quid quod pluribus spõte sua pepercit? Hæc & huiusmodi plura q̃ dignissimo principe in his epistolis facile quis poterit intueri? Et q firmissimum est ueritatis argumẽtum semp sibi constat. Neq;.n.ulla fieri rõne põt: ut simulando quispiã semper eundem tenorem seruet: ne affectu & conscientia uel inuitus ad animi morbos ostẽdendos nõnunquã trahatur. Cæterum in his epistolis nihil grauius: acutius: pressius: & græcorum & latinorum pace dixerim: in hoc scribẽdi genere inuenies. Cuius dicendi caracterem utinã mea assequi potuisset oratio: sententias tamẽ spero me assecutum: quas & prudẽtia & sapientia plenas / & ad bene uiuendum principibus maxime accomodatas quis negauerit? Harum igitur quom ĩ manus mihi uenisset: elegantiã admiratus dolui eas duo milia fere annorum nostros homĩes latuisse. Quare non arrogantia / neq; enim uires meas ignoro / sed quom qui ingenio & doctrina ualent: has nescio qua rõne adducti in latinum uertere neglexerint. Ego & si supra uires onus me subiturum intelligerem: subii tamen: satius ratus incultiores haberi q̃ nullas. Crudelitatis autẽ qua omnes eum accusant: nõ tantum mihi ipse arrogo: ut melius q̃ ipse se excusaturum existimem. Ipse cãm suã agit quæ q̃ sit pbabilis / tua poterit præstãtia iudicare. Id tamẽ dicã: quod ad eius defensionẽ nõ parum facere arbitror. Ex primis Siciliæ tyrannis fuisse

Phalarim superbi Tarquini temporibus. Nam & Pycragoram ad quem Phalaris scribit eo regnante floruisse & Liuius & Aulusgellius & Eusebius asserunt. Eo tempore siculi tyrannidis expertes & peregrino & exuli / cretensem.n.& a patria astim phalide exulem se ipse testatur: & ei quem paulo ante ne parem quidē habuissent / parere indignabantur. Hinc populorum odium: hinc cōiurationes: hinc phalaridis metus: & quæ de eo feruntur crudelitates emanarunt. Qđ licet benignitas tua & morum tuorum præstantia talem cum subditis semp se gesserit: ut nihil q̄ te carius: nihil tibi magis q̄ uitam / q̄ foelicitatem tibi precentur: uel aliorum principum exemplo: quid moetus possit / nō ignoras. Vnum præterea in his epistolis me non parum perturbauit: q nōnullæ ita mendosæ sunt ut nulla possit ratione earum sententia cōiectari. Nec mirum: quom etiam familiares Ciceronis epistolæ: quas frequēter in manibus habemus / librariorum incuria q̄ mendosissimæ inueniantur. Eos ego locos annotaui: conatus tamen in quibusdā nō absurdam pro loco afferre sententiam. Quod si quando mihi emendatius exemplar dabit: particulis illis correctis ad præstantiam tuam mittam. Sed iam Phalarim ipsum audiamus.

Phalaris Alciboo. 1

p Olicletus messenius: quē proditiōis apđ ciues tuos insimulas: morbo me īcurabili liberauit: nec ignoro me dolores tibi & lachrymas nuntiare. Te autē neq; ipse medicæ artis inuētor æsculapius cum oībus diis sanare unq̄ potuisset.

Aduersam enim corporis ualitudinem ars sanat. Animi autem morbo sola mors medetur: quã tu ꝑ multis & magnis sceleribus / nõ quidẽ coactis: quorum me arguis: sed uoluntariis / grauissimam expectato.

Hieronymo. xxvi

r Ogasti me quibus adductus rõnibus leontinos in agrum: quẽ mihi auferunt cõtra me imperũ faciẽtes: uicturũ me censuerim. Ego uero qđ iustitiorẽ cãm habeã / omitto: quippe q̄ nõ solum belli auctor: sed propulso illatũ. Hoc.n. nullius est apud uos momenti: illud aũt qđ & si uos dissimuleris: scire tamẽ uos necesse ẽ. Dicere sane possum uiris fortibus / pecuniis / nauibus / equis / me supaturum: quorum oium uos indigni cum eo hoste certatis: q̄ & horũ & fortunæ opulẽtissimus est.

Nicophemo. xxvii

q Vos in leontinorũ concionẽ miserabili cruciatu piisse enumerasti: eos quom nobis insidias tenderẽt / interemimus. Tu aũt nõ intelligis: quom calamitosum eorũ defles interitũ / nõ solũ his exemplis nobis nõ moliris insidias: sed ĩ leontinos: quos ĩ bellum cõtra nos cogis / pigriores reddis: ut in talẽ hostẽ iniuste bellũ moueant. Neq; enim fieri põt eundẽ & odio haberi ꝑꝑ crudelitatẽ: & ꝑꝑ mollitiẽ cõtemni. Quod si ad uota res succedãt: neq; his certaminibus uobis inuidimus: neq; cõtẽdere dehortamur.

Timonatti. xxviii

u Ici bello leontinos: ut autẽ dolori sufficias: nec poenitus absumaris / nõ oia tibi significamus: quemadmodũ una cum iis thauromenitanos & zaclenses eorũ socios supauimus. Neq; ꝙ

captitiuos talẽtis cẽtũ ꝑ his acceptis dimisimus: quippe q nolim te tam foelicibus nuntiis dolore extincto immerito uideri hominem interemisse.

Policleto medico. ii

n Escio qd de te potius admiret Policlete/medicinæ facultatẽ/an morũ fidẽ? Facultas.n.aduersam tyrãni ualitudinẽ: mores.n.tãtæ cedis premia uicerũt. Per hæc ambo iustitia tua discurrẽs: duobus me ꝑiculis ꝑiclitãtẽ: ui scilicet icurabilis morbi: & hostiũ premiis liberauit. Soli nãq; tibi licuit si morbo ꝑiissem/tyrãnũ uideri iteremisse. Sin minus quom qcqd mihi dederis/id ꝓmpto aio ad salutẽ acceꝑerim/me interimere: qđ tibi plurimũ ad eiusmodi premia cõsequẽda ꝓfuisset. Verum.n. uero noluisti preciũ iniustũ iustæ laudi præferre. Siqdẽ fortasse occasio illa tpris ad me interimẽdũ pp morbũ iustæ cedis cãm nõ habuit. Ego igitur qđ ita mecũ egeris/cũ in tua eẽm potestate/dignã tãta uirtute laudẽ reꝑferre nequeo. Hoc unum scio eam te assecutũ doctrinã: quæ deo digna sit: q medicinæ artẽ iuenit. Verũtamẽ cũ medicinæ & fidei laudibus/misi ad te aĩ mei erga te monumẽta puri auri phialas quatuor. Crateres argẽteos nõ nostri tpris artificii duos. Poculorũ thericliorũ paria decẽ: puellas ĩpollutas uiginti: qnquaginta milia athicorũ. Scripsi præterea & Teucro: ut ĩ retũ mearum dispẽsatiõe id tibi salariũ daret: qđ nauiũ gubernatores/& corpis custodes/& reliq cẽturiones accipiũt: paruã ꝓ fcõ ꝑ tãto beneficio uicẽ. Sed addatur minori meæ gratitudini me cõfiteri nõ hẽre quo pacto ꝓ meritis tibi debita possim ꝑsoluere.

l Iberaui tui gratia Calleſchrum:q mihi tam manifeſte inſidias fecerat:ut non ſolum eas confiteretur: ſed cōiuratos etiam indicaret. Adderetq; quo loco/& quando/ & qua ratione me aggreſſuri eſſent. Atqui īmemoris uiri eſſe uidebatur hominis ſalutem ei denegare:qui ſalutē aliis elargiatur. Simul etiam reputabā meum eſſe talē gratiam referre medico:q me liberauerit. Tuum autē longe decentius accipere qui medicinæ princeps es:& oēs ſanas indigētes. Cognoſcat autem ſuam temeritatem Calleſchrus/ꝙ uitæ a te gratiā accipit:quā alii iniuſte abſtulit. Abſtulit.n.quantum in eo fuit:quanuis fortuna non permiſerit.

Meſſeniis. iiii

a Vdio uos Policletum medicum ueſtrum tanquā agrigentinorum proditorē/accuſare:ꝙ cum me grauiſſimo morbo laborantē interimere potuiſſet/eo me liberauit:& iuſtitiæ eius laudem in iniuſtitiæ accuſationem uertitis: neq; uos huiuſcemodi cōfiteri pudet. Ego autē admodum eius artem:ſed longe magis eius mores admiror: qđ quom me tanquā morientē ſuæ fidei creditū haberet:non ut tyrannum interemit: ſed ut ægrotum omni conamine in priſtinā reſtituit ualitudinem. Atq ueſtris calumniis ne minimo quidē detrimento affectus eſt. Mea uero in ſe liberalitate inter ſiculorum ditiſſimos ī primis pōt annumerari. Non igitur ignoro:quin ob meam in Policletum liberalitatem oēs agrigētinorum proditores potius q̄ phalaridis percuſſores dici exoptetis.

n On ignorabam quin de tripodibus delphi
cis/& aureis coronis/ & aliis multis pretio
ſisq; muneribus quæ diis ueſtris recupatæ bonæ
ualitudinis gratia miſimus alterum faceretis: ut
ſcilicet aut ipſis diis pie offerretiſ:aut iis neglectis
inter uos ea partiremini:quod ipſi feciſtis. Simu
lata nãq; mihi iniuria/ac ſi noſtra qui ea miſimus
gratia/prophana fuerit/in deos ſacrilegium cõmi
ſiſtis. Quid.n.refert munera iam dicata/an tãtum
deſtinata diis aufferre?utraque enim illorum nõ
mittentium ſunt. Nos igitur gratiam i deos:uos
impietatẽ oſtendiſtis. Siquidem & dantem me/&
uos rapientes nouerunt. Satis autẽ habeo:ut deo
rum:qui a uobis expoliati ſunt:iram experti uos
ipſos ſceleſtos ĩtelligatis. Nam cum ex aliis:tum
ex eo quod miſſa a nobis munera eẽ uobis lucro
putaſtis:nihil eorum ſceleratum eſſe cõfitemini:
niſi forſitan ipſi theſauri duplicẽ ſortem habeãt:
ſi inter uos diſtribuantur/bonam:malam / ſi diis
dicentur. Preterea palam uos ipſos impietatis ar
guitis. Principes.n.decernendæ hoſtilis pecuniæ
cauſam ad populum referunt: uos autẽ populus
ad principes. Et quod omnium grauiſſimum eſt
deos tanquam malos homines:ſi munera a tyran
no accipiant:perditionis inſimulatis. Verum tres
qui ſententia ueſtra bene rempublicã gerunt:qui
ue nõ ſemel meſſanam:quemadmodum agrigen
tum/ſi quas petierant/pecunias dediſſem:meæ di
tioni ſubdidiſſent / impune dimittitis. Cuius rei
cauſa eſt:qđ eadẽ eſtis qua illi ſententia:neq; libe

re in huiusmodi auctores animaduertere potestis quom oēs capiēdis muneribus sitis obnoxii. Sed ne uideat munerum gratia hæc dicere: ne minimū quidē hāc amplius curā suscipiā. Meritas uero te meritatis uestræ poenas dabitis quos uiolastis/ & de me & de his quæ impune ī eos ausi estis. Va lete. Valere autē quom duplicem habeat significa tionem/ nolim uos ignorare ī deteriorem partem esse accipiendam.

Megarensibus. VI

cOnqueror de ingratitudine uestra: ꝙ quom de uobis sæpenumero benemeritus sim/ in fi nium controuersia: quæ mihi cum finitimis erat: falsum cōtra me perhibuistis testimonium. Meā autem accuso stultitiā: ꝙ a uobis frequēter lacessi tus/ adhuc nō sim factus sapientior. Nam quom nullo unq̄ tempore nostrum erga uos beneficio rum memores fueritis / nos tamē ac si ea nunquā obliuioni mādasseris/ nostrā erga uos beniuolen tiam liberalitatemq; semp ostendimus.

Thirseno. VII

s I eos q necessario iniuste aliqd admiserunt / in posterum meritas expectare poenas opor tet: quemadmodum ī egestensium cōsilio es con cionatus: quom opera mea ad diuinam prouiden tiam rettulisti: quænam spes de te ipso habēda ē? quom nō ex necessitate: sed sponte tua & cōsulto iniqua omnia prolabaris?

Leusippo. VIII

f Ilio tuo pp iuuentam: tibi pp senium parci mus: quāuis nullam ueniam mereamini. Ve

rum nisi a temeritate desistatis: neq; illum iuuẽta: neq; te senium eripiet. Immo eo uos grauiori sup plicio afficiemus: quo maiore uenia dignos duxi mus. Cleostrato. VIIII

a Dmodum mihi risu dignum & admiratiõe uidetur: ut quispiam admonitionibus tuis melior fieri possit/ & cõtinentior. Quippe q alios gastigare uult/ omni eum crimĩe liberum eẽ opor tet. Tu uero & his quæ in alios reprehendis crimi nibus/ & innumeris aliis obnoxius tanquam oĩo irreprehensibilis/ aliorum errores corripis.

Menacli. X

e T equos tibi paratos ad pugnã misimus: & Teucro ut pecuniã daret/ etiam mandaui mus. Siqua alia re tibi opus ẽ: ne pigeat ad me scri bere. Nihil. n. tam magnum a nobis petieris/ quin id tibi libenti aĩo largiamur. Aglao. XI

t Hesauros nostros quoscunq; nobis deus lar gitus est/ ad fortunæ mutatiões cõdidimus: non in sinu terræ / quemadmodum admones: sed in amicos: q a nobis dona accipere non dedignan tur. Tu uero neq; ĩ hoc benignum te nobis exhi bes: ut quãtum in nobis est: si principatu deiicia mur: ullam spem habere possimus. Atqui si non prius: nunc saltem tanquam depositum accipias mihi seruãdum: & in hoc amici munere fungare. Nullã enim terræ partem fidam nobis ducimus: si uobis amicis optimis tanquam pulueri diffida mus. Qui si fortunati fueritis: quanuis me aduer sa fortuna prostrauerit: lætus tamen nihilominus foelicem me existimabo. Eumelo. XII

q Vom neq; uidear:neq; sit iustum eum qui prior iniuriã intulerit ulcisci:quom primũ nos læseris/a nobis postmodum idem expectat.

Herodico. xiii

a Lius iniuria affectus nullã inferenti minetur ultionẽ: ut q̃ minimum apud illum suspectus habeatur. Ego autem degeneris uiri officium existimo/nescium atq; incautum aggredi. Quare quom me læseris/ultionem caueas admoneo:ut ante expectationis moetu: tandẽ ipso supplicio torquearis. Ariphoeto. xiiii

o Pera tua & his quæ misimus/ & lõge maioribus premiis digna sunt. Mea autẽ pscrutari noli. Nihil.n.in his potius q̃ silentiũ ducimus.

Amphinomo. xv

q Vom in uiros bonos aliquid cõfero / nõ dare mihi:sed accipe ab his potius beneficium uideor. Quare te rogo:ne tanquã dantem me:sed debentẽ tibi gratiã:eo quod quæ misimus/accepi pisti/existimes. Erythiæ uxori. xvi

e T mea cã plurimũ tibi debere grãm intelligo/& cois filii:quẽ tibi reliq erythia. Mea:q quom patria exularẽ / uidua pmanere q̃ cuipiam nubere maluisti: quom te plurimi uxorẽ expeterẽt. Filii:quoniã tu ĩ eo/& matris mũere & patris fũcta es:neq; uirũ aliũ p phalaride:neq; filiũ aliũ p Paurola tibi delegisti:sed p secũdo uiro priore cõtenta es. Pro alio aũt filio quẽ ex priore cõceperas educare satis duxisti. Perge igitur/& uiri & filii grãm ĩ eam quã spõte tua coepisti educationẽ usque dum p ætate doctus/neq; patris amplius/

neq; matris indigeat. Hoc ego abs te tãto studio contendo: nõ quod matri & huiusmodi maxime in filii beniuolẽtia diffidam: sed ut pater unico filio metuens. Poteris autẽ ex animi tui affectibus patrum in filios moetu intellecto: mihi quod sic ad te scribam: ignoscere. Paurolæ filio. xvii

m Axime utrunq; parentem fili mi amare te decet / & plurimi facere. Filio nãq; & pium est & honestum: ut genitorum / & qui in se tot beneficia contulerint / recordetur. Quod si in altero ab officio desistẽdum sit: patrẽ potius q̃ matrem negligas oportet. Non enim parua tibi sint & patris & matris in educatione filiorum officia. Sed hæc quidem quom eos tulerit / pepererit / educauerit: inumeros quoq; alios ꝓ his subit labores. Ille autẽ quom a matre educatus sit filius / & adultus non minus eius se fructum promereri arbitratur: quom nihil in eius educatione molestum tulerit. Peculiare autẽ quoddã & magis proprium q̃ cæteræ matres tua in te ius habet / propter meum exilium. Vt enim te educaret: plurimum laboris perpessa ẽ: amborum curas sola sustinuit. Tu igitur quæ utrique parẽti officia debes: uni matri: quæ omnes pro te labores subiit redde: paternis nãq; officiis materno amore satisfacies. Nihil ego amplius abs te efflagito: si in eam quã debes pietatẽ ostẽderis. Immo & accepisse abs te maiorem ĩmodum beneficium ꝓfitebor. Decens enim est: si matri gratiam ꝑ multis in te officiis retuleris: maximum a patre beneficiorum tuorum initium existimari. Paurolæ filio. xviii

q Væ a patre in filium debẽtur officia tibi præstitimus Paurola. Quæ uero tu patri debes si cum possis: reddere negligis: uehemẽter erras. Audio enim te bonas artes: quod sæpenumero te accusaui / cõtemnere. Nullum autem aliud abs te peto beneficium: si hoc spreueris. Atq scias uelim eruditionis utilitatem: si mihi obtempaueris: nõ eum qui gratiam acceperit: sed qui dederit: longe maiorem consecuturum.

Erythiæ uxori. xix

s I nostræ tyrannidis moetu Paurolã agrigentum mittere nõ audes: tibi & tanquã mulieri: & tanquã matri unico filio timẽti ignoscimus Sin tanquã sola non mecum eum genueris / soli tibi habendum censes: inique cãm parentum diiudicas. Rigidissimo enim iure patris filius est: nõ matris: humani uero utriusque par. Si autem qđ aliquando patri filium cesseris: iccirco ĩ eo ius tuum minui arbitraris: quid de eo censendum ẽ: qui ne particeps quidem unquã fuerit. Aequiorem igitur te prestiteris: si eum ad me miseris: nõ serius: sed quãprimum: cum his muneribus ad te redituru: quæ phalaridis & erythiæ filium deceant. Vt si nõ mecum: sine me saltem opulenter & laute uiuere possitis. Quis enim familiarium gratia: uxore & filio neglectis locupletari cuperet? Ego sane uestri studiosus: ut uirum & patrẽ decet statui rerum mearum nõ modicam partem ĩ uobis dilectissimis collocare: & q̃celerime quidem: cum aliorum tum aduentantis senectutis gratia: maxime autem propter morbum qui nuper mihi grauissimus cõtigit: quippe q me admonet: ut ultimum

uitæ terminum homini presentem diem semp exi stimem. Aduentum autem ex creta agrigentum: & rursum ad te reditum: patris beniuolētia tutio rem q̄ maternus moetus præstabit.

Paurolæ filio. XX

c Oronā abs te sexcentorum aureorum pon do/& bonæ fortunæ/& eius qui misit gratia acce pimus. Qua nos ea tantum die: qua patriis diis ꝑ uictoria aduersus leontinos uota soluimus coro nati/dono matri tue erythiæ misimus. Neminē.n. tam pretioso munere q̄ matrē digniorē iuenimus Vtinā tu & decentior nobis & gloriosior corona fias: cum parentum uotis: ut te decet: satisfeceris.

Paurolæ filio. XXI

c Vm ī himerā necessario uenissem: Stesicori filias: cum poemata canerēt: audiui. Partim quæ stesicorus/partim quæ ipsæ uirgines ediderāt. Ha rum uero carmina stesicori carminibus inferiora. Aliorum autē: siquis ea cōpararet/ longe erāt ele gantiora. Quamobrē & eum qui docuerat: & eas quæ præter naturā: in tantā uenerant eruditionē: foelicissimas duximus. Age igitur Paurola: maxi me enim hac quoque causa desidero: ut doctrinæ inuigiles: qua tandē sententia corpus armis/uena tionibus/aliisq; exerces laboribus. Animum autē græcis litteris disciplinisq; incultum relinquis: & quem primum & solum in his exerceri oportue rat. Corporis enim cura est habenda bonæ uali tudinis uel corroborandorum membrorum gra tia: nisi quis in sacris agonibus exerceri uelit. Ani mi uero mores omnes eum intelligere oportet:

qui ĩ rep. cum dignitate uicturus sit: nisi fortasse: quod plerique accusant: ad tyrannidis cupiditatẽ aspiras: At si tibi iure ipso conueniat: iccirco uires corporis exerces: tanquã tibi ad huiusmodi principatum assequendum necessarias. Verum si recte sapies: ab eo quem principatus poenitet / sniam accipies: qui non sponte: sed coactus hanc sibi uitã delegit. Qui tyrannidẽ expertus / tyrãno subiectus q̃ tyrãnus esse mallet. Ille enim unum dumtaxat tyrannum formidat / aliis incõmodis liber. Tyrannus autem & qui extrinsecus insidias moliuntur & qui se custodiunt / timet. Necesse nanque est: ut in formidine & miseria ipsos primum uereatur custodes. Quare sapientius accepta consulentis patris beniuolentia: æqualem te omnibus exhibeas: perpetuos uero moetus & periculorum sine ulla quiete arbitrium & hostibus & hostium filiis relinquas. Quod si rerum inexperientia & iuuentute pulchrum quiddã & iucundum tyrannidem / & nõ potius supremas calamitates existimas: maiorem ĩmodum aberras: & profecto ob eius ignorationem. Verumtamẽ deum precare ut nunquã in tyrannicæ fortunæ experientiam uenias.

Camarinensibus: XXII

e T in gelliam misi: & ad leontinos: & ad uos item mittendum existimaui: ut mihi in præsentia auxilio essetis. Neque enim armis / neque equis indigemus neque uiris: quorum uacuã dicitis habere ciuitatem: sed pecunia. Leontini nobis quinque talẽta q̃ primum miserunt: gellii promiserunt decem. Vos autem neque leontinis tardio

res:neque Gelliis minus liberales arbitramur.

Lycino. XXIII

n On recte in leontinorum concione/me/ac si affuissem: tibiq; potuissem respódere:interrogasti. Quis/unde/qbus ue sim pgenitoribus? Ego uero quemadmodũ me ipsum phalarim Laudamantis filiũ genere astyphalensem/patria exulẽ tyrãnum agrigẽtinorum/multa exptum/& aio in hunc usq; diem inuicto: Nõ secus noui Lycinum cynedum ĩ pueris/in iuuenibus salacẽ/in mulieribus adulterum/temerariũ in legibus/luxuriosum in uoluptatibus segnẽ in pace/in bello desertorẽ: q & tuarum in me concionum/& horũ quibus te reprehendo scelerum/mihi poenas dabis:si nõ citius:at saltem quom Leontini meo in se bello defessi te mihi captum tradent.

Leontinis. XXIIII

s I meum cõtra uos bellum solui desideratis: nihil ueriti/mihi Lycinum tradite:ut omni ira & indignatione in eum effusa/a meo ĩ ciuitatẽ uestrã furore desistam. Nihil enim ĩ eum grauius animaduertremus:q̃ uos oẽs cupe intelligamus.

Leontinis. XXV

l Eonidam:quem res meas exploratum misistis/captũ a me/quom ĩterimere possem/liberaui. Non ut uobis rem gratam facerem:sed ne quærerem q uobis meum cõtra uos belli apparatum certo significaret. Etenim ipse sine cruciatu libere mihi uestros cõtra me paratus aperuit. Vos scilicet omnium indigos præter q̃ famis & formidinis:quibus abundare plurimũ uos attestatur.

q Vom mores tuos optimos/& incredibilem erga oēs humanitatē intelligā: quomq; proximorū foelicitates pie & humane proprios dolores ducas: & calamitates breui ad te scripsi/& causa mea/& nauali pugna/& legionibus/& equestri tandē certamie uicisse: ut hoc nuntio quēadmodū bonū benignūq; uirum deceat/perpetuo doleas: ingenioq; & tā pditis tuis moribus debitas poenas luas.

Pythagoræ philosopho. XXX

p Halaridis tyranni a pythagoræ philosophia differre plurimū uidetur: nihil tamē phibet qn rebus etiā sic se habentibus ceitrum nostri periculum faciamus. Fieri.n.pōt: ut quæ longe distāt in idē redigat cōsuetudo. Nos ex his quæ de te accepimus: uirum te optimū eē nobis psuademus. Tu aūt noli adhuc de nobis ferre sniam: falsa.n. quæ de me habetur opinio/me offendit. Verū mihi tutus nō est ad te accessus pp meā qua accusor tyrānidē: si inermis & sine satellitibus uenirē/capi facile possem: si armatus & militum munitus præsidio/suspectus forem. Tu uero omni liber periculo/& uenire ad me/& sine moetu apđ me esse/& mei periculum facere poteris. Si tanquā tyrannum me spectaueris/priuatum potius q̄ tyrannū inuenies. Sin ut priuatum/habentem etiam aliquid ex necessitate tyranni: hunc enim principatū nullo pacto sine crudelitate obtinere possum. Quod si humanitas in tyrannide tuta esse posset: nō aliorum modo gratia: sed hac quoque tecum

esse desidero. Viam nanque mitiorem tuis aggrediar admonitionibus: si una cum Pythagoræ sententia/ueritas quoque certam mihi salutem pollicebitur.

Thoraci. XXXI

u Trum me ipsum tanquam obscure scripserim: an te tanquã cõsulto intelligere nolis accusem: nescio. Viginti inquã milia tibi ex rationibus restãt: si apertius doceri uis: qui te alia q̃ uelis rõne doceant / breui a nobis expecta.

Ariphradi. XXXII

t Emeritas/& iuuenturis inscitia ĩnumeros homines pdidit: quibus duobus affectibus filium tuum agi nõ ignores uelim. Qui quom me iisdem: quos memoraui furoribus: ad uindictam prouocarit: me tamẽ cõtinui/tibi nõ illi ignoscẽs. Multorum.n. testimonio incredibilis tua perhibetur humanitas. Iccirco nõ putaui ob filii malitiã nihil malemeriti patris senectam dolore afficiendam. Quippe qui quom unum dumtaxat filium habeas: & si omnino malũ: alterius tamẽ successoris inopia diligis: prauitatem enim filii patris beniuolentia uincit. Verum nisi iam desinat: tuisq; & meis pateat admonitionibus: non ignoret & tibi & mihi breui meritas poenas daturum. Ne autem malitiæ pertinaciã ignoratione excuset: eadem de te & ad te & ad illum epistolas misimus.

Niceneto. XXXIII

q Vod sæpenumero patri tuo scripsimus: te monitum faceret: ut a temeritate cessares: effecis forsitan: ut odii tui formidine id nos to/

gasse arbitrareris. Ego uero an sic res se habeat: ne scribendũ quidẽ censeo. Atq cũ intelligerẽ patrẽ tuum senẽ modestissimũ: neq; alios habere filios: illius misertus/ & nimiæ tuæ ob ætatẽ audaciæ parcens/ in hũc usq; diem te ptuli. Te aũt neq; patris in unico filio periclitantis senectæ miseret: neque tibi cõsulis: q ita ĩ peruicacia perstas. Sed forsitan quoniam nihil ĩ te grauius aĩaduertimus: quom cessare uolueris/ licere tibi existimas: qđ neq; longe te potentioribus licuit. Quod igitur tibi optimo datur: utrum cõmodius ducas: noli Thimandrum imitari: sed utili potius inimico q̃ exitioso consultore uti uelis.

Anthimaco. xxxiiii

s I reddere mutuũ potes: & tamen nõ reddis: spõte tua malus es. Sin quod reddas nõ habes: & si malus omnino nõ sis: lædis tamen. Inuoluntaria enim si humane cõsiderẽtur/ uenia digna sunt. Atq ueniã reddendi dilationem nõ penitus desperationem esse scias.

Aristhomeni. xxxv

n Oli ægre ferre uulnera quæ in bello accepimus: grata tamẽ mihi ẽ tua ĩ me beniuolentia & humanitas. Verũ tantũ abest: ut ea iniquiore animo feram: & si parũ a morte abfuerim: ut & si diutius me uicturũ mihi persuadeã: optassem: celerius ĩ bello occubuissem. Quid enim uiro generoso melius q̃ in uirtutis & uictoriæ contentione fortiter uitam finire?

Xenopyti. xxxvi

n On me perturbant calumniæ/ neque opiniones: quas de me hoĩes habent: q iniuste me

accusant: nec ulla alia causa q̃ quia euenire intelli go: alios natura malos: me aũt huiusmodi esse ne cessitate: quæ diis potẽtior est. Verum hoc inuicẽ differimus: ꝙ quom mihi principatus gratia plu ra liceãt: qui sim profiteor. Vos aũt priuati legũ formidine / opera uestra dissimulatis.

Cathaniis. XXXVII

c Vm ad me ciues uestri captiui deducerentur: nõnullos: quom omni spe decidissẽt: qa nõ admodũ uobis eorũ uita curæ erat / liberaui. Nõ qđ mei erga uos odii obliuiscerer: maxime nanq; obliuiosus essem: si minorem ira mea ultionem a uobis accipe satis mihi existimarem. Verũ quom pro meritis mihi poenas dabitis: quot & quãta in me admiseritis / uobis cõmemorabuntur.

Cathaniis. XXXVIII

u Os fortasse satis mihi penarũ dedisse de his arbitramini: quæ in me / & meos inique egi stis: quom ꝑ triginta uiris impie a uobis combu stis / quingẽtos milites: pro septem direptis talen tis / plurimos census amiseritis. Ego uero quæ in hũc usq; diem passi / eorum quæ passuri estis / proe mium fuisse annuntio: adeo ut quæ nobis fauto ribus hostes uobis mala inferent confiteri erube scendũ sit. Nõ tamẽ cõtra uos odiũ meũ remittã: donec quæ mundũ regit prouidentia / eandem in eo gubernando seriem prosequetur. Indicam aũt uobis bellum / nõ tam mea q̃ deorũ gratia: in quo rum manibus & seruare oĩa / & perdere ẽ: siquidẽ diuinam sortẽ / ut reliqua naturæ elemẽta / ætneus ignis sortitus est: in quem quom impie ĩnocẽtes

uiros proieceritis:non Phalarim:sed qui oĩa con spicatur solem/uobis inimicum comparastis.

Crithophemo. xxxix

b Oni amici officium/& tu/ & omnes q plus æquo meam extollitis fortitudinẽ facitis: quom cõsilio & opera nostra uictos a nobis leontinos prædicatis. Certo aũt scimus quæ necessaria fuerũt:nos diligẽter ꝓuidisse:exoptatissimã uero uictoriam a fortuna confectam. Nihil est enim in humanis rebus uir amicissime/siue magnum sit/ siue exiguum:quin illius nutu agatur.

Polignoto. xxxx

e T donare tibi aliqd in posterũ/ & scribere desinã polignote. Cessato aũt & tu a laudibus quas de me apđ alios prædicas. Re enim me accusas:quom mea tenuis munera:uerbis me/ & laudibus prosequeris. Neq; animaduertis sermonem rerum umbram a sapientioribus existimatum.

Asiocho. xli

g Loriari ꝑfecto de nobilitate:ut de alio quouis bono licet. Ego aũt uirtutem solam nobilitatem scio:cætera omnia fortunã. Et fieri quidem posset:alius ex ignobilibus parẽtibus clarus alius ex claris ignobilis:ipseq; se ipso & abiectissimus ignobilior. Itaq; animi uirtutẽ apud siracusanos laudibus prosequi debes:nõ maiorum mortuam in ignobilibus successoribus nobilitatem.

Demotheli. xlii

i Gnosco tibi/qđ ita me admoneas:ꝙ enim nunquam tyrannus fueris:tyranno tyrannidem deponere cõsulis:neq; deorũ mihi quempiã

affers securitatis fideiussorem: cui fortasse fidem habere possem. Te autē dignum censes: cui tanta de re acquiescam: neq; animaduertis fere periculo sius eē deponere principatū q̄ occupare. Ad summam ita de tyrannide/quemadmodum de generatione & uita sentiēdū est. Neq; enim homo/si fieri posset: ut anteq̄ nasceretur quænam mala passurus esset / audiret: nasci unquā uoluisset. Neq; priuatus qui tyrannidi studeret: si illius intelligeret calamitates: tyrānus potius q̄ priuatus eē uellet. Sic igitur Demotheles homini nō nasci q̄ nasci/& priuatum q̄ tyrannū esse utilius intelligo. Quod si ante occupatam tyrānidem eius mihi narrasses conditionem: & hoc mihi tunc dedisses consiliū: obtemperassem ꝑfecto. Sed quom tyrannus sim: & principatu coactus/in multa inciderim: nō modo hominum nemo: sed ne deorū quidem potentissimus hanc tyrannidem deponendam mihi persuaderet. Haud.n.ignoramus quibus quantisq; nos affectos suppliciis ab iis in quos grauius animaduertimus/uitam profecto finire cogeremur.

Epychatmo. xLiii

t Vum & Demothelis de deponenda tyrannide consilium/non ab odio: sed rerum ignoratione profectum intelligo. Aggredi enim tyrannidem appetentis est: desistere autem minime: propter multa quæ a tyranno iniuste committuntur: quemadmodum sagittarius: quom primum sagittas emiserit: non amplius habet eius reuocandi potestatem. Quod si fieri potest: ut huius tyrannidis tollatur initium / id facite quæso.

Sin nequit: sciatis uelim longe minus fieri posse: ut uestri mihi monitus conferre uideantur.

Epycharmo. xLiiii

s Vfficis solus nobis: quom iustos nos arbitraris: & si nemo huiuscemodi tuo de me testimonio credat. Vnus enim & talis uir oĩs mihi siciliæ norma & regula est. Temerariam aũt multitudinem/loco solitudinis: & nullius hoĩs habendam censemus: uel ad implendũ locum qui solus esset: solitudinis supplementũ existimamus. Cui & ignorari/ & deteriores q̃ sumus/uideri/fortasse non est inutile. Sed multos habes tui similes. Hominum enim præstantiam/non numerum reputamus: cũ quibus nosti nos & bonos eẽ/& æquos. Qđ & si solus esses: satis nos abundare testibus: neq; aliorum egere laudibus/duceremns.

Hippolitioni. xLv

a Ditum tibi ad me: ut rogas: permitto: Nullum aũt tibi securitatis iusiurandũ damus: sed fidem: quod si uerbis meis nõ credis: nũc profecto me iniuria afficis: nõ quom mihi accusatus es: quom enim non ignores: nemini me unquam fidem fregisse: ac si de me male sentias/petis iusiurandum. Verum quid refert ad pietatem: iusurandum ne/an fides frãgatur? Vtrunq; enim animus confirmat.

Polythimoni. xLvi

s I accepta ex tuis moribus coniectura/mihi non fidis/prudentiã meam/non malitiam/accusas. Sin ex meis/mei ignoratione plurimum aberras. Tantum enim abest/ut fidem frangam:

ut quom ex animi mei sentẽtia/cæteris supra quã liceat/credam:ac si firmiorẽ fidei pietatẽ habeant: sæpenumero deceptus sim. Mihi igitur sine dolo & fraude fisus / nihil a me iniusti perpetieris: sed apd omnes testimonio cõfirmare poteris/ea fide phalarim esse: ut neminem unquam decipiat.

Nyciæ. xlvii

h Isdem de rebus quibus filium tuũ odio ha bes: qui mores tuos non imitatur: ab omni bus diligitur: ex quo itelligere potes/te his omni bus inuisum esse: qui eum amore prosecuntur.

Adimantho. xlviii

a Vdio tibi esse cum fratre cõtrouersiam: uter uestrum sit peior: quom tu illum: ille cõtra te peiorẽ attestetur. Ego autẽ arbitror/uel potius compertũ habeo: Cæteris hominibus illũ: te etiã illo iniquiorem.

Egestensibus. xlix

n Olite meos exules recipe: nemo unquã pha larim neq; i bona/neq; in mala referẽda gra tia uicit. Hoc uos ex leontinorum & melitẽsium causa probe intelligere potestis: quorum alteris li bertatis: leõtinis seruitutis auctores fuimus. His quod triremes meas summerserũt. Melitensibus uero quod summersas recuperare curauerunt.

Antistheni & Thetimo. L

e X his quæ misi muneribus/Antisthenes par tem: Theotimus nihil accepit. Quã ob rem alteri gratiã habeo: de altero nihil queror: Ille.n. quom accepit / meas nõ minuit facultates: hic ue ro nullo me damno affecit.

Menedi. L i

n On te poeniteat bonum euasisse: si uis a paterna iniquitate alienus/existimari. Aliter superioris tēporis/apud camarinenses/bonam de te opinionē amittes. Simulasse enim aliquando probitatem/non te ipsa bonus fuisse uideberis.

Epistraro. L ii

n On secus q̄ ad fortunatū aliquē ad me scribere uideris. Ego autē conditionē meam tibi paucis explicabo. Scias me a prima infantia orbum fuisse. A iuuenta fati iniquitate/patria exulasse. Res meas/maiore ex parte/amisisse. Barbaris educatum esse moribus. Ex omni terra/iniuria affectum/profugisse. Neq; solū ab hostibus: sed ab iis quos sum beneficiis prosecutus: insidiis circunueniri: & tyrannum uitam in tyrannide deprecari. Si hoc inquam est fortunatū esse/fortunati profecto sumus.

Onerori. L iij

e T tu & omnes amici hoc sane mihi facietis gratissimum: si nihil de me percōtabimini: neq; curiosius inquiretis: nisi quod ipse uoluero. Eiusmodi enim fortūa opprimimur: ut nostra cognita cōditione: lætari magis inimici: q̄ incognita ægre amici ferre possint.

Isenico. L iiij

a Liorum qui me læserunt/inimicitias: ut hortaris: libēs obliuiscar. Mortales enim quom simus: īmortale/ ut aiunt/ odium seruare minime decet. Pythonis aūt aduersum me īmanitatem/nō modo uiuus obliuioni/non mandabo: sed ne mortuus quidem: quod omnibus uita functis eueni

re consueuit. Quippe qui iniquitatem/omnium maximã in me molitus est: siquidem post meum exilium Erythiam uxorem/quom eius nuptiis recusatis/me sequi uellet/ueneno necauit.

Trasinori. LV

c Astellum: quod tu/dum oppugnaretur: reliquisti: excursione á Teucro facta/ea celeritate euersum est: ut ocius id captum: q̃ hanc epistolam scriptam scias uelim.

Abaridi. LVI

a Vdio te clarorũ uirorũ/cõsuetudinis gratia ex hiperboreis ad nostras usq; regiones aduentasse. Teq; & Pythagoræ philosopho/& Stesicoro poetæ/& aliis quibusdam græcorũ/præstantissimis cõgressum: & ab iis multa didicisse. Cupe aũt te alios conuenire: qui te quas ignoras historias/doceãt. Quod si ab iis/qui me calumniantur antea psuasus es/esse qualem me prædicãt: haud facile est dissuadere. Sin ueritatem: cum ab omnibus tum maxime a sapientibus disquirendã censes: ad me uenias: quemadmodũ pleriq; alii clari uiri: mecũ cõmoraturus. Ipsa. n. noueris experientia: cætera apd̃ me/& melius/& honestius/& si mihi de me ipso libere loqui licet/addo etiam humanius q̃ presens fortuna pati uideatur: & disposita & cõstituta esse: Phalarimq; qui hæc & gubernat/& ornat: & nemine eorum/qui maxime in his laudantur/inferiorem.

Orsilocho. LVII

s I propterea q Pythagoras philosophus sæpenumero a me accersitus huc uenire noluerit: quemadmodũ eum qui meã fugeret cõsuetu

dinem/laudasti:mihi calumniã attulit:qđ nũc ad me uenerit:& qntũ iam mensem una mecũ in uo luptatibus sit:mihi ꝑfecto laudi est. Apud me.n. ne breui quidẽ momẽto permansisset:nisi mores nostri conuenissent.

Egesippo. LVIII

tV fortasse & alii consanguinei q ægre fertis Clisthenis exilium:eum sibi male cõsuluisse in his quibus patria pulsus est: nunc tandem co/ gnoscitis: quom nullius remedii tempus sit / nisi poenitentiæ. Ego autẽ quom inani gloria maxi mus in repub.uersaretur:tum maiorem ĩmodum eius uicem dolebã: & litteris ad eum meis rerum exitum testatus sum. Ipse uero honorũ uolupta te elatus agebatur/fortunæ immemor. Et nos nu gas & deliramenta scribere:tanquã reipub.oio ex pertes arbitrabatur. Vel potius ac si tyrãnidis no stræ gratia nollemus quempiã uidere recte remp. administrãtem: quoad magis q̃ opus fuerit infla tus/suis ipse flatibus prostratus est:Suoq; nõ me diocri detrimento/non Phalarim ciuilis guberna tionis pp principatũ:sed se ipsum/uulgi penitus ignarũ cognouit. Eiusmodi nanq; uulgus est:ut ĩ calamitates se sequẽtes alliciat:& principia euen tibus nõ consentiant. Ego igitur & quicunq; non oio stultus/mallẽ ut incerta me multitudo sibilis q̃ honoribus prosequeretur. Odium nanq; eius ci tius q̃ accendatur / extinguitur:neq; quibus exar descit temporibus/ualde damnosum est. Eius aũt beniuolentiæ opinio/ exilia/ mortes/ proscriptio/ nes/uel his nihil tollerabilius affert. Per Iouẽ ma ximum Egesippe/ut sentimus:sic te alloquimur.

